TRES ESSE MUSICAS · IN QUO DE UI MUSICAE NARRATUR

Principio igitur de musica disserendi illud interim dicendum uidetur quot musicae genera ab eius
studiosis comprehensa esse nouerimus; Sunt autem · tria · Et prima quidem mundana est · Secunda
uero humana · Tertia quae in quibusdam constituta est instrumentis · ut in cythara uel tibiis
ceterisque quae cantilene famulantur; Et primum ea quae est mundana · in his maxime perspicienda est ·
quae in ipso caelo · uel compage elementorum · uel temporum uarietate uisuntur · Qui enim fieri
potest ut tam uelox caeli machina · tacito silentique cursu moueatur · Et si ad nostras aures sonus
ille non peruenit quod multis fieri de causis necesse est · non poterit tamen motus tam uelocissimi ·
ita magnorum corporum nullos omnino sonos ciere · Cum presertim tanta sint stellarum
cursus coaptatione coniuncti · ut nihil aeque compaginatum · nichil ita commixtum possit in
tellegi; Namque alii excelsiores · alii inferiores feruntur; atque ita omnes aequali incitati
one uoluuntur · ut per dispares inaequalitates ratus cursuum ordo ducatur; Unde non potest ab hac
caelesti uertigine · ratus ordo modulationis absistere; Iam uero quattuor elementorum diuer
sitates · contrariasque potentias nisi quaedam armonia coniungeret · qui fieri posset · ut in unum
corpus ac machinam conuenirent · Sed haec omnis diuersitas · ita et temporum uarietate parit
et fructuum · ut tamen unum anni corpus efficiat; Unde si quid horum quae tantam uarietatem
rebus ministrant animo et cogitatione decerpas · cuncta pereant necesse est ut ita dicam quicquam consonum
seruent; Et sicut in grauibus cordis is uocis est modus · ut non ad taciturnitatem grauitas usque descendat ·
atque in acutis ille custoditur acuminis modus · Ne neruii nimium tensi uocis tenuitate rumpantur ·
Sed totum sibi sit consentaneum atque conueniens · ita etiam in mundi musica peruidemus nihil
ita esse nimium posse · ut alterum propria nimietate dissoluat; Uerum quicquid illud est
aut suos affert fructus · aut aliis auxiliatur ut afferant; Nam quod constringit hiemps uer
laxat · torret aestas · maturat autumnus; Tempora quae uicissim · uel ipsa suos afferunt
fructus · uel aliis ut afferant subministrant · De quibus posterius studiosius disputandum est;
Humanam uero musicam · quisquis in sese ipsum descendit intellegit; Quid est enim quod illam
incorpoream rationis uiuacitatem · corpori misceat · nisi quaedam coaptatio · et ueluti grauium
leuiumque uocum · quasi unam consonantiam efficiens temperatio · quid est autem aliud quod ipsius
inter se partes animae coniungat · quae ut aristoteli placet · ex rationabili inrationabilique coniuncta est ·
Quid uero · quod corporis elementa permisceat · aut partes sibimet rata coaptatione
contineat · Sed de hac quoque posterius dicam; Tertia est musica quae in quibusdam
consistere dicitur instrumentis; Haec uero administratur aut intentione ut neruis

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 27 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/it/sbe/0298/27)